

antea tertio Junii contigisse. Quandoquidem repetita sepius epagomenon translatione, æquabilis, ac perpetua series interrumpi potuit, & Neomenia Di longius, quam alioqui par erat, in consequentia promoveri. Quod ipsum & propter æquinoctialem Neomeniam evenisse probabile facit Scaliger, dum ob eandem causam Jezdegirdis tempore translata affirmat epagomenas, idque Neomenie æquinoctialis exemplum insigne esse scribit pag. 256. de quo paullo post dicitur. Itaque temere ex Ifacii loco conjicit, anno cccxxv, Neomeniam Di III Junii contigisse; Neomeniam autem epagomenam xxx Martii. Quinetiam nullo jure alterum hoc usurpat, epagomenas ab anno cccxxv. perpetuo fini Aben hæsisse: quod ipsum probari oportuit. Nam, uti dixi, propter novos subinde Reges, & æquinoctialem Neomeniam varios in menses conferri poterunt.

Postremo quartum illud incertum, atque commentitium est, Neomeniam epagomenon à xxx Martii ad xxxi. Aprilis migrasse. Quando, inquit, nova epocha à Magis instituta, luxatis à domestica sede furtivis diebus, & in finem alieni mensis evadit, quod nunquam antea factum erat. Innumera sunt, quæ gratis concedi sibi postulare debet Scaliger, ut eo, quò vult, aspirare possit. Imprimis epagomenon Neomeniam in Martii xxx. incidisse anno cccxxv, quod jam consutavimus. Tum epocham anni præfixi viii. Aprilis fuisse; epagomenon verò Aprilis III, quod est postulatium. Nam ei nulla ratio suffragatur. Probabilius autem est; constituta illa anni descriptione, quam indicat Patriarcha, Persas venum cardinem consecutos. Ad hæc concedendum est illi Mehar in Martio contigisse, & ad eum epagomenas adhæsisse, indeque in Aben translata esse: & vaticinia sunt, ac somnia. Nam trajectionibus extraordinariis perturbata interim, ac permixta omnia poterunt. Jam unde colligit tum primum alienum in mensem translata epagomenas, idque antea nunquam accidisse? Qui enim sciri istud potest? Nam de Isaac planè fallitur; quem putat scripsisse Periodum cynicam ex anno cccxxv. cepisse; cum ex ejus verbis effici possit, non primam hanc, quæ inde profecta sit, sed ante ipsam alteram fuisse, cujus *Συναρισμός* in annum illum incurrerit. Per illud verò ridiculum est, quod disputationi intextuit: novam hanc Periodum annorum 1460, quæ Salchodai, & intercalationi successit, trajectione epagomenon institutam. Neque enim, inquit, aliter potuit institui annus vagus, nisi luxato *ἑμπεριόθεν* cardine. Quid istud obscuro rei est? aut quid nova illa trajectio furtivorum dierum ad vagi anni periodum attinet? An non omnia simpliciter intercalatione post annos cxx. constituere canicularum, atque Ægyptiacam formam licuit? Caverent enim anno illo cccxxv. Perfarum Antifites, ac Magi, ut ne deinceps mensis ullus intercalaretur; sed laxis in anteriora frænis anni Neomenia vagaretur: quid opus nova epagomenon translatione fuit?

Convincitur autem multò magis, ac vanitatis arguitur in eo, quod de Jezdegirdice ære Neomenia pag. 256. dixit. Ibi post allata Patriarchæ verba, quibus in Periodo vetere Persica, sive Salchodai, desultoria intercalatione trajecti epagomenas assererat; subjicit ista Scaliger. Hoc sanè (nimirum traductio *ἑμπεριόθεν*) non omnibus Regibus, ut ille putare videtur, neque omnibus magnis Regibus fiebat, sed tantum in Neomenia æquinoctiali Persica. Non possumus dare exemplum illustrius Jezdegirdico, ejus anno imperii quarto, ut infra exponetur. Nam quamvis forma illa Salchodai obtinuit, neque Neomenia æquinoctialis, neque Neomenia epocha in hominum potestate erat. Conferantur jam ista cum iis, quæ de æquinoctiali Neomenia, & tota anni Persici forma toto illo capite discribit. Nihil esse videbimus, quod magis repugnet. Neomenia æquinoctialis, ait definitione 1x, est quando character Sari incidit in æquinoctium. Sublati igitur Sari, hoc est Salchodai, & intercalatione omni, nulla jam æquinoctialis dici Neomenia potest, nisi forte nova quadam notione canicularis in Periodo Neomenia dicatur æquinoctialis, cum æquinoctium attigerit, quod semel in annis 1460. inventi potest. Atqui in præsentis negotio locum non habet. Etenim Patriarcha litteræ de Salchodai, & intercalationis capax Periodo loquebantur, in qua magnis Regibus institurati annum moris fuisse confirmat. Contra quem Scaliger contendit, non nisi in æquino-

ctiali Neomenia, vel epocha contigisse: cujus æquinoctialis Neomenia, nullum sit illustrius exemplum, quam ære Jezdegirdica. At, ò bone vir! oblitus es jamdudum ante Jezdegirdis tempora Saros nullos, neque Salchodai in rerum natura fuisse, atque ab anno cccxxv. vagum annum & canicularum Periodum institutam. Quod igitur exemplum æquinoctialis Neomenie in Jezdegirdis anno primo reperire potes; cum annis ante cccxi. tota illa Neomeniarum æquinoctialium, cujusmodi Patriarcha orationi congruunt, methodus esset extincta? Volo enim hoc dicas: cum anno cccxxv. solutus ac canicularis annus inceperit, quis tum primus Periodi mensis, quæ Neomenia constituta sit. Respondebis Adar deinceps ad aram usque Jezdegirdicam principem mensium existisse. Præclare. Hujus igitur Neomenia, quam in Maii iv. die collocas, quandomam æquinoctialis censetur? Neque enim æquinoctialis esse in anno vago altera potest, quàm à qua annus inchoatur; anni porro singuli non ab alia Neomenia incipiunt, quàm ab ea, quæ totam Periodum auspicata pullatim in antecedentia progreditur. Hæc igitur Neomenia tum, opinor, æquinoctialis erit, cum æquinoctii metas attigerit; quæ anno cccxxv, eo scilicet ipso, quo Nicanum Concilium indictum est, hæbant in xxi. Martii. Quamquam consistere non potest, utrum Persæ eodem die venum æquinoctium defixerint, an Ptolemaicum epocham adhuc retinuerint. Sed tamen fingamus æquinoctium ab iis civile collocatum in Martii xxi; ab hoc die ab iv. Maii dies sunt xv. Proinde cum in uno quoque die Neomenia quadriennio consistat, Neomenia Adar post annos cxxxvi. absolutus ad xxi. Martii transibit, & æquinoctialis erit. Ergo anno Christi di. æquinoctialis Neomenia contigit, non ante, neque postea, donec evoluta 1460. annorum periodo, æquinoctii metas assequatur. Imò ne illo quidem confecto spatio dici æquinoctialis poterit; cum interim æquinoctia undecim ferme diebus anteverterint annis 1460. Quare major annorum circuitus ad æquinoctialis Neomenia *Συναρισμός*, quàm ad Canicularis anni requiritur, hoc est xi. circiter annis amplius, ut mille quingenti anni inter utramque Neomeniam æquinoctialem intercedant. Hinc apparet nullam Jezdegirdis tempore Neomeniam æquinoctialem incidisse, cum Neomenia Adar, quam solam dici æquinoctialem potuisse demonstravimus, tunc in xviii. Febr. transferret; Neomenia verò Di vel in æquinoctium conveniret, ut supra docuimus, vel princeps anni non fuerit; ac proinde fieri æquinoctialis jure nullo debuerit.

CAPUT XV.

De Epochâ Chaldaicâ anni atque Persici, & utriusque Salchodai comparatione Scaligeri errata reselluntur.

DEMONSTRATA contextus anni utriusque vanitate, quem nulla ratio, augetur nulla, sed sola libido ingenii peperit, de utriusque primordiis, atque epocha singulari capite disputabimus, quoniam præcipua quedam in eo fabularum, hallucinationumque monstra constata sunt, quæ haud scio an non superioribus omnibus graviora videantur. In tertio itaque libro canonum Ifagogicorum, capite illo, quod extra ordinem methodo anni Chaldaici, atque Persici dicavit, pag. 247, amborum Epochæ stabilitur. Dupliciter autem spectari potest Epochæ. Nam aut est annus ille, qui Periodo, ac temporibus populi alicujus initium dedit; uti Christianorum Epochæ annus est primus ære Dionysianæ, nempe Julianus xvi. & Periodi Julianæ 4714. Aut est certus mensis dies, à quo ille annus inchoatur. quomodo Christianis istud initium annorum à xxv. Decembris, vel à Kal. Januarijs dicitur. Prior epocha, anni: posterior, diei, ac mensis epocha nominetur. His positis, Chaldaico, Persicòque anno communi, diei, ac mensis epocha statuitur in viii. die Aprilis Juliani. Ab hoc enim die utriusque tempora processerunt, & ad eundem Saris omnibus absolutis, per unius mensis intercalationem, annorum initia revocantur. Annorum autem epocha non eadem illis est. Nam Chaldaica Periodus, sive Salchodai cæpit anno Periodi Julianæ 2481. Persicæ ve-

rò viginti annis tardior anno 2501. Cujus doctrinæ fontes non sine ingenti rædio pervertigavimus. Hanc enim tritici innumeris, & amfractibus impedire, ac curiosis oculis eripere illius auctor studeat.

Methodi totius, & opinionis in eo fundamentum positum est; quod superiori capite consutavimus. Vide licet quod anno Christi cccxxv. Epagomenarum Neomenia legitimum situm habuit in xxx. Martii post finem Mehar; unde in finem Aben, & xxix. Aprilis translata sunt: cujus proinde Neomenia esse debebat Apr. iv. Ex quo sequitur quatuor solidis diebus antecessisse pristinam epocham, quæ est Aprilis viii. Quare totidem lustra jam præterierant ab initio Sari Aben, cum in singulis diebus quadriennium integrum Neomenia moretur. Hoc si ita est, capis Sarus Aben annis xvi. solidis ante cccxxv. annum, nempe anno Christi cccviii, quo primus dies Aben, qui est Ormuzda, diem viii. Aprilis occupavit, adhuc præfco Salchodai ordinem suum tenente, neque in formam anni Ægyptiaci soluto. Eodem anno Christi cccxxv. agebatur Chaldaici Salchodai decimus, & lustrum ejus sextum. Siquidem mensis Betheth Neomenia, quæ Oromazde Persico respondet, anno Per. Jul. 5001. sive Christi cccxxxviii, iniiit viii. Aprilis, & Saro Betheth initium dedit. Ergo anno Periodi Julianæ 5021, Christi cccviii, eadem Neomenia confederatur in diem Aprilis III. expetis lustris v, & dies sextus Betheth, qui Chardad Persico respondet, in Aprilis viii. succederat. Anno verò Periodi Julianæ 5037. Christi cccxiv, Neomenia Betheth Chaldaici Martii xxx. diem ingredi cæperat, confectis jam lustris ix, annis xxxiv. Unde anno sequente in eodem die consistit. At in anno Persico lustrum Sari Aben quintum anno cccxiv, qui est Alphandarmaz, iniiit Apr. iv, exactis jam annis xvi, & in eunte xvii. Quippe Heros iste ad viii. Apr. pervenit; & in eodem die sequenti anno reperit est. Ex eo consequens est Sarum Chaldaicum xx. annis solidis Persicum antecedere; quoniam lustrum illius decimum, hujus est quintum, sive tricesimus septimus annus Chaldaici Sari, Persici est decimus septimus. Cum igitur Salchodai Chaldaici inierit anno Periodi Julianæ 2481, Persici initium erit anno 2501. Hæc est summa doctrinæ totius, quam palam est, ex multiplicium nugarum, ac divinationum serie, atque contextu, velut catena quadam esse deductam. Quare ut à fundamento ipso subruatur, revocanda hic in memoriam erunt, quæ superiori capite adversus commentum illud de trajectione epagomenon à fine Mehar in Aben, & à xxx. Martii in xxix. Aprilis differuimus. Hoc enim speciem veri nullam habere docuimus; ac proinde quidquid super ea opinione constituitur, futile est, & casuum. Nam non aliunde scivit in xxx. Martii Neomeniam Epagomenon consistisse anno cccxxv, quàm quod Neomenia Di anno cccxxxi. in III. Junii reperta sit. Quod multis de causis frivolum esse fecimus. Tum quoniam Epochæ anni Chaldaici est in viii. Aprilis; quod est etiam ineptum.

Sed ut altius methodi totius origo repetatur, illud imprimis repetendum est; quam ob causam viii. istum Aprilis diem tam præfate delegerit, ut in eo anni utriusque epocham locaret. Hujus adeo illi insite opinionis rationem, ac principium diu in illius libris investigavimus, donec ipsulum, quod querebatur, in appendice ad libros de Emendatione temporum, pag. xxxi. & xxxvii. invenimus. Ibi adversus Porphyrium probat Semiramidem Trojanis temporibus multo esse vetulsiorem, itaque ratiocinatur. Assyriorum imperium omnium antiquissimum conditum est à Nino, ut Græci volunt; ut nostri, ab Assur. Ab hoc rege tricesimus fuit Sardanapalus, auctore Ctesia, & Diodoro, qui etiam ab initio Nini, ad exitum Sardanapali acccxi. annos putant. Deinceps Medi ab initio Arbasad ad initium Cyaxaris res Assyriorum obtulerunt, annis cxxli. Ergo ab initio Nini ad initium Cyaxaris anni sunt præcisè mxcxi. Cyaxares iniiit imperium Medorum anno secundo Olympiadis xxxvi. quod colligitur ex diminutione temporum apud Herodotum. Ergo initium Cyaxaris confurgit ex anno Periodi Julianæ 4085. de quibus deductis 1602. solidis ab initio Nini ad initium Cyaxaris, remanet annus primus Nini respondens anno 2481. in Periodo Julianæ. Rursum Callisthenes rescribens Aristoteli de ultima antiquitate Paris I.

te rerum Chaldaicarum, dicit annum captæ ab Alexandro Babylonis fuisse millesimum nongentesimum tertium computi temporum Chaldaicorum. Capta est Babylon anno Periodi Julianæ 4383. deductis 1902. absolutis, remanet annus Periodi Julianæ 2481: quem jam diximus fuisse primum ab initio Nini. Ergo computus annorum, quò utebantur Chaldaei, inibat ab anno primo Nini, non à Nemrodo, quod aliquando putaverat. Et sanè Chaldaei, quia antiquius imperium Assyriaco, aut vetulsiorem regem Nino memorare non poterant, jure ab eo annos suos putabant, quò alium antiquiorem non norant. Et fieri non potest, ut sine ulla causa à tam longinqua antiquitate epocham temporum suorum repeterent. Erat annus mundi mcccxxvii. Neomenia Zygonos 5, 7, 28, Octobris xx, Neomenia Krionos Aprilis viii: Ergo viii. Aprilis est antiquissimum Neuruz Chaldaicum. Atque ita quatuor præfco reges habemus: *Χαμσικόν* Atheniensium in xli. Januarii: *Καρόν* Chaldaeorum, in viii. Aprilis: *Ζερόν* Elidensium in viii. Julii: *Μεσσαρόν* Macedonum in vii. Octobris; quæ & veterum Judæorum Tekupha est: & quidem omnia in littera G. Ab initio Nini ad initium Nabonassari anni mcccxxxvi. quæ sunt Neuruz xii, & præterea anni xvi. de tertio decimo Neuruz Chaldaico: quibus competunt dies xi. *Σεραπίωνος* in annis æquabilibus Ægyptiacis: quibus deductis de viii. Aprilis, relinquatur xxviii. Martii Neuruz Nabonassari; quo postea semper Chaldaei, & Orientales usi sunt, sub nomine Neuruz Harirathi. Neomenia Paopii anno primo Nabonassari conveniebat cum xxviii. Martii, hoc est cum ipso Neuruz civili, ubi quoque erat Neomenia Neuruz Chaldaici; & procul duobus etiam inde suas dodecaeteridas exordiebantur. Hæc Scaliger; quæ ideò descripsimus, quod in iis universæ de anno Chaldaico, atque Persico doctrinæ, imò fabulosi commentu fundamenta jecerit. Inde, inquam, apparet, cur in Ifagogicis canonibus æram Chaldaicam ab anno Periodi Julianæ 2481, mundi 1717, repetat, qui est post Diluvium sexagesimus. Hujus enim ea in illis verbi causa redditur, quòd ab eodem anno Chaldaeorum imperium unâ cum primo Rege Nino cæperit. Quam quidem de initio Chaldaici regni, ac Nini sententiam in Animadversionibus ad Eusebium, & in Ifagogicis Canonibus postea mutavit. Nam ibi annum Periodi Julianæ 2481, Mundi 1717, Semiramidis decimum octavum numerat, adeò ut annus primus Beli cadat in annum Periodi Julianæ 2357. ante diluvium annis circiter sexaginta quatuor. de quo errore crassissimo diximus lib. i. tom. i. cap. vi. Nini porro initium ex eodem posteriore Scaligeri sententia convenit in annum Periodi Julianæ 2412, Mundi 1748, qui est post diluvium nonus. Hinc *ἀνοψία* perspicua est. Cum enim à Nini primordio Chaldaeorum epocham ordiendam putasset in Appendice, anno ante Babylonem ab Alexandro captam millesimo nongentesimo tertio, post diluvium sexagesimo, mutata dein sententia annis novem & sexaginta Nini anteverit initium; & tamen in eodem quo prius anno Chaldaeorum defixit æram; quæ quidem una cum Nini epocha retrò summovenda fuerat. Quam porro ridicula, & absorta in utraque opinione multa sunt! In Appendice, Nini principium anno post diluvium quarto & sexagesimo tribuit. quod quis non absurdum judicet? Neque enim ante Phaleci ortum, hoc est annum saltem à diluvio centesimum, imperium ullum constitui poterat, nondum humano genere disperso. Adde Beli, qui Ninum antecessit, annos iv. Ita anno post diluvium nono circiter Chaldaeorum fundatum erit regnum. At in Ifagogicis canonibus longè absurdus, ubi non solum Beli, sed etiam Nini epocham ante diluvium collocavit, uti libro i. Tom. II. demonstrabitur. Hoc divini Chronologi decretum; Belum, qui est Nembrodis Babylonicæ turris edificator, lxiv. annis ante diluvium regnare cæpisse, Ninum verò novem. Nescio an turpius aliquid ulli mortalium excidere possit: hoc scio nullum ad hanc diem insignius ejusquam erratum, & ad stuporem vehementius extitisse.

Quamamobrem explodatur *ἀνοψία* illud *ἑμπεριόθεν*; Chaldaeorum epocham ab anno Semiramidis xviii, qui fit mundi 1717, post diluvium sexagesimus, iniiisse. Ante linguarum divisionem, quæ ante centesimum à diluvio

P. 130

ludio fieri non potuit, certum est nullum existisse regnum. Ut igitur in ipso Phaleci ortu, & illa generis humani distributio, & Assyrii regni institutio nata sit (quod tamen nunquam concedit Scaliger, qui ante Assyrios Arabum, & aliorum quorundam Monarchias posuit) contigit initium Beli anno Per. Jul. 2520, à quo ad primum Semiramidis annos numerat CVI I. Proinde non potuit Semiramis ante annum Periodi Julianæ 2627. regnum aspiciari. Quo tempore æquinoctium medium ex Alphonsina methodo, quam in civili æquinoctio Chaldaico secutus est Scaliger, convenit in Aprilis VI, vel VII. Hic igitur, non in VIII. æquinoctiales metæ figendæ fuerant. Quamquam cur à Semiramidis ævo potius, quam ab ipso Chaldaici regni primordio Salchodai Chaldaicum exorsus est? Neque enim Semiramis anno regni sui XVII, alium annum usurpavit, quam qui à primo imperii conditore manaverat. Ergo ante annos CXXIV, ineunte Beli regno, Salchodai potius inchoari debuit, quam ab anno Semiramidis XVIII. Atque idcirco epocha IX. die Aprilis, ubi tum ex eadem Alphonsi methodo statuitur, non in VIII. collocanda. De Callisthenis autem epistola, & annis CCCCL. à Babiloniis putatis, dicemus Tomo II. lib. I. cap. De Assyriorum epocha.

Quis tam abhorrentem ab omni iudicio, communique sensu methodum ferio crederet, ac non per jocum, & ludibrium excogitatam fuisse? Si novum anni, & Salchodai primordium fundare Semiramis potuit; cur non idem & successorum quispiam potuerit? Cur ab aliquo Rege Sarorum epocha alio die, quam Aprilis VIII, definita non fuerit? Præsertim cum, ut antea pugnavimus, credibile sit æquinoctium medii, ac celestis in civili constituto habitam esse rationem. Accedit quod Babiloniorum epocha nulla celebrior, nulla ad titulum usurpata temporum alia vetustior est, quam Nabonassar. Hinc enim Chaldaica tempora propagantur. Quoniam igitur illius seculo medium æquinoctium Alphonsinum circiter XXVII. Martii fuit, non alia Babilonico anno aptior epocha præfiri potuit. Docet nos insuper, in quo vis omnis methodi, atque anni descriptio consistit, quo fretus Sarum Tebeth non alterius mensis anno Periodi Julianæ 5001. cepisse velit: quam item ob causam Sarum Nisan in annum illum postulatitium, atque scitum Semiramidis concecit. Etenim, ex Scaligeri mente, mensium Chaldaicorum apta invicem, ac necessario nexu copulata series, ut neque Nisan anno 2481. Sarum inire potuerit, nisi Tebeth anno 5001. Sarum XII. inceperit; neque Tebeth postremi hujus Sati princeps esse, nisi primum anno 2481. Nisan inchoarit. Quocirca alterutrum probandum fuit, five Nisan anno 2401. primum Sarum, ac primum item Salchodai Chaldaicum cepisse: five Sarum XXII, anno 5001, in Tebeth incidisse. Neutrum autem demonstratum video, sed gratis confictum. Cui quidem divinationi opponi alia possunt non minus probabiles: Veluti diu ante Semiramidem, Salchodai, ac primum Sarum, & Nisan incepisse. Ex quo factum sit ut anno 2481. alius mensis locum haberet. Tum post annum 2481. intervenitu magnorum regum, atque Epagomenon trajectione, annum esse renovatum, atque extra ordinem mutatum. idcirco non Tebeth, sed alterum quempiam de mensium numero in postremum Sarum incubuisse. Quod enim magnis Regibus, & in eorum *ἐπιγοναίῳ* mutatio fieret anni, Scaligeri est opinio. Neque verò dumtaxat ob *ἐπιγοναίῳ*, sed etiam propter Neomeniam æquinoctialem, Epagomenæ, ut eidem placet, trajectæ sunt, & annorum interrupta series: quod pag. 256. affirmat. Cum enim Patriarcha scripserit, annum Regibus innovari esse solitum, nempe traductis Epagomenis, reprehendit hunc Scaliger. *Hoc enim non omnibus, inquit, Regibus, ut ille putare videtur, nec omnibus magnis Regibus fiebat, sed tantum in Neomenia æquinoctiali, aut Neomenia epocha.* De Neomenia æquinoctiali subijcit exemplum Idegerdis, de quo nos supra. Est autem Neomenia æquinoctialis, ut ipse definit IX. tradit, *Quando character Sari incidit in æquinoctium.* hoc est quando Neomenia Iustri, quod ab aliquo Heroë cognominatur, in æquinoctium cadit. Neomenia epocha ex definit XII. est, quando absoluto priore Saro posterior incipit, & Neomenia in pristinum epocham redit, nempe VIII. Aprilis. Exemplum; anno Periodi Julianæ 3821. Sarus Di Persicus, qui est

duodecimus Sarus, five mensis anni magni Salchodai annorum MCCCXXI, qui ab anno 2501. iniiit, Neomeniam habuit in VIII. Aprilis. Sarus enim quilibet indidem proficiscitur. Hæc Neomenia epochæ dicitur, ob quam epagomenæ trajectæ sunt, adeo ut prima dies illarum, quæ à III. Aprilis ad IV. Martii processerant, rursum in III. Aprilis coniectæ sit. Nam cum epagomenæ in fine Aben essent; (cujus Neomenia anno 3821. Februarii III. cepit, Neomenia verò Adar post epagomenas Martii IV.) pro Neomenia epagomenon substituta est Neomenia Aviar decimi tertii mensis, & epagomenæ illi subiectæ: tum Neomenia Di, à qua Sarus incepit, in VIII. Aprilis incidit. Æquinoctialis Neomenia post Iustri, five annos XI, facta est, quando undecima dies mensis, quæ Trichuich dicitur, ad VIII. Aprilis pervenit, & Ormidia, five prima dies ad XXIX. Martii, ubi tum erat æquinoctium. quod anno Periodi Julianæ 3841. contigit. Hæc Neomenia æquinoctialis, ac Iustri æquinoctiale dicitur. Princeps mensium erat Di, cujus Iustri XI. æquinoctiale fuit: epagomenæ Martii XXIV. post Adar. Si verum est, quod Scaliger definit, in omnibus æquinoctialibus Neomenis trajectis epagomenis anni contextum immutari; necesse est anno illo 3841, epagomenas à fine Aben, id est à XXIV. Martii, ad finem Di, hoc est ad XXIII. Aprilis fuisse translatas, & Behemen primum mensem esse factum; neque tamen ab epocha cepisse. Quamobrem ex hoc, quod ibidem docuit, in Neomenia æquinoctiali, sicut & in Neomenia epochæ annum innovari solitum epagomenon traductione, ut Patriarcham interpretatur, totum illam Chaldaicæ anni fabulam evertit. Nam infra cardines, metæque suas Neomenia prima prolapsa est, nimirum infra VIII. Apr. fluctuante sæpius anno, & Epagomenis ultrò citroque trajectis. Proinde neque Salchodai, neque Sari amplius ulli cursum suum, ordinemque reuenerunt, sed variis trajectioibus interpellati sunt, quemadmodum Jezdegirdis tempore accidit. Bisenim eodem Iustro traductas epagomenas arbitratur, anno Christi DCCCXII, quando epagomenæ à fine Aben ad finem Adar translatae sunt: & anno DCCCXIII, cum à fine Adar ad finem Alphandari migrarent. Quorsum itaque Sarorum Chaldaicorum, Persicorumque seriem in laterculo descripsit, quasi perpetuo tenore ab VIII. Aprilis ad IX. Martii Neomenia progressa sit, istque limitibus coercita fuerit? Quorsum præterea ex posteriorum Sarorum ordine de prioribus argumentatur? Non enim coniectari potest anno 2501. Neomeniam Behemen Persici in VIII. Aprilis incurrisse, ex eo quod anno 5021. Sarus Aben in eundem cardinem congrueret, nisi perpetuum, & immutabilem cursum Saros omnes interjectos tenuisse constet. At id non modo constat, verum etiam contrarium ejus à Scaligero definitur; quando propter Neomeniam æquinoctialem innovatum annum esse dicit, trajectis epagomenis; ut Idegerdis tempore factum asserit. Hoc enim exemplum innovati anni ob æquinoctialem Neomeniam adduxit, in quo traductæ sunt epagomenæ. Quare idem & aliàs factum, quoties ob Neomeniam æquinoctialem annus innovatus est. Ex quo mirifica perturbatio Sarorum Chaldaicorum, & Persicorum exoritur, quæ epagomenas longè ultra metas à Scaligero constitutas extortres agit.

Quod autem ob Neomeniam æquinoctialem sic innovatum annum esse velit Scaliger pagina illa 256, ut epagomenæ trajectæ sint, ex ejus oratione concluditur. Cum enim Patriarcha scripserit Persas solitos esse annum suum innovare, cum magnus aliquis Rex oriretur, id ille reprehendens nonnisi in Neomenia æquinoctiali, vel Neomenia epochæ censet accidisse. Si innovato anni nihil aliud esset, quam simplex annorum titulus, & inscriptio; frustra contenderet expectandum alteram Neomeniam, ut exorto Rege magno nova ab eo epocha duceretur. Id enim citra Neomeniam epochæ, vel æquinoctialem factum esse ex ipsomet Scaligero convincitur. Etenim Persæ novam epocham, imò primam omnium ab eo anno dederunt, in quo Cyrus Persarum imperium condidit. Hæc, inquam, prima est, & antiquissima Persarum epocha. Atqui nulla tum neque epochæ Neomenia, neque æquinoctialis incurrit anno Per. Julianæ 4154, quo Cyrus in Perside regnare cepit, ut Scaligero videtur. Erat tum Salchodai secundus ab epocha Persica anni 2501, ejusque Sarus secundus, qui Alphandar dicitur est; cuius anno 4154, Iustri vicefimi quarti, hoc est Iustri Marasphad, annus

nus secundus iniiit. Siquidem anno Periodi Julianæ 4061. cepit Sarus Alphandar cum Neomenia epochæ. Nam Ormidia in VIII. Aprilis convenit. Æquinoctium tum erat in XXVII. Martii, à quo tertius decimus dies est octavus Aprilis. Ob id Iustri decimum tertium, hoc est Mcharferuch erit æquinoctiale post annos solidos XIVIII. iniens, videlicet anno Periodi Julianæ 4109. Quamobrem anno 4154, quo Cyrus incepit, neutra Neomenia fuit Epochæ, vel æquinoctialis; & tamen novus anni titulus usurpatus est. quod ipsum de aliis Persarum Regibus, à quibus æra aliqua nova constituta est, & de Medis, & Babiloniis demonstrari potest. Quocirca cum Scaliger innovari solitum factum esse dicit, & hoc ipsum in Neomenia dumtaxat æquinoctiali, vel epochæ factum esse defendit, non de simplici annorum ab aliquo rege putatione loquitur, sed de anni mutatione, quæ trajectis epagomenis fieret. Præterea cum ad anni innovati specimen, & exemplum adferat id quod Jezdegirdis tempore, anno videlicet CCCCXII. Christi, contigit, satis ostendit innovationem anni, quam adversus Patriarcham in Neomenia æquinoctiali fieri statuit, hujusmodi fore, qualem diximus, intellexisse; in qua videlicet epagomenon traductione mutatus est annus. Nam Jezdegirdis tempore hoc modo annus innovatus est. Ita firmissime illud additur, Scalligerianis iis verbis, *In æquinoctiali Neomenia perinde ut epocha annum innovari solitum, hunc subesse sensum; ut quoties epochæ Neomenia, & æquinoctialis incidere, epagomenis trajectis novum initium anni caperetur.* Ex quo methodus omnis anni Chaldaicæ, atque Persici, & quidquid in canonibus, ac definitionibus de illo præscriptis Scaliger, antiquatur, ac rescinditur. Neque magno id sanè flagitio. nihil enim hæc in tota doctrina cernitur, præter otiosam ac ludicram fabulam, quam ad deterrandos lectores multis, & intricabilibus commentis obscurare, & impedire studuit. Jam quæ instauratæ præter Neomeniam æquinoctialem epochæ exempla commemorat, Artabacis, Artaxerxes Medorum Principum, Nabonassari, & Nabopolassari Chaldaeorum, ex iis priora duo non quadrant. Nam, ut nos suo loco disputavimus, initium Artabacis cadit in annum 3938. Periodi Julianæ; non in 3941. ut vult Scaliger. Ideo Neomenia æquinoctialis anno ejus primo non congruit; quæ quidem anno 3841. contigit. Ita nec Artaxerxes anno XVII. convenit æquinoctialis Neomenia, sed XXI; siquidem anno Periodi Julianæ 3946, non 3949. iniiit. Adversus reliqua duo, illud excipi potest, quod & contra priora valet, & conjecturas omnes reliquas de Neomenis istis elidit: quod non appareat, utrum æquinoctium medium illis temporibus in ipsis, quos præfixit Scaliger, diebus incidere, vel à Chaldaicis saltem in illis constitutum fuerit. Primum enim Alphonsinus anni modus ad id assumitur, qui non est accuratus: certè veros æquinoctiorum cardines nequaquam assequi potest. Deinde quamvis *ἀεὶ* esse esset, ex altero Scaligeri dogmate rescinditur, quod de æquinoctialibus Neomenis indidem aluitur. Hæc est enim illius opinio, veteres in octavis signorum partibus, saltem popularis anni cardines collocasse. Quare fieri potuit, ut Chaldaei, Persæ, ac ceteri, qui Neomenias istas æquinoctiales observarent, non in ipsis æquinoctiorum momentis, sed in octavis partibus æquinoctiales Neomenias ponendas esse decernerent. Denique ridiculum, & postulatitium est, quod in tota doctrina principii locum habet, civilis anni cardinem in VIII. Aprilis constituisse, etiam multis post æræ primordium sæculis, cum æquinoctium ab eo die in anteriora longo spatio recessisset. Quod quidem non Chaldaicis solum, verum etiam Medis, & Persis *ἀλόγως* & *ἀκατάσκευστος*, ut sæpe questus sumus, asfingitur. Quemadmodum & pompa omnis illa Sarorum, Salchodai, trajectiois epagomenon, cetera postremo intricatæ, ac difficles nugæ, quorum omnium contextus dissonis ac minime coherentibus ex partibus efficitur.

Ut enim Chaldaeos modo seponamus, ac de Persis potissimum agamus, quid est quod ambages illas omnes temporum, ut Chaldaicæ, ita Persicæ attribuit? Summa probationis in hoc uno vertitur: *Persas quandiu Assyriis, Mediisque paruerunt, proprium annum nullum habuisse; sed Semiramico usos esse, hoc est epocha Semiramidis Chaldaicæ.* Atqui Semiramicus iste annus jam explosus est, qui ab initio Semiramidis minime proficiscitur,

sed anno sexagesimo post diluivium; cum nullum adhuc imperium, nulla gentium facta esset divisio. Per est illud verò ridiculum, quod cum hæc ipsa sententia, quæ anno XVII. Semiramidis inchoatam Chaldaeorum æram statuit, ex altera illa opinione derivata sit, quam in appendice ad Emend. Temp. exposuit, de initio, ac tempore Imperii Assyriorum; postquam alteram, ac diversam amplexus est, pristinum nihilominus illud, de Chaldaicæ anni primordio tenuit, quod cum ab Nini hæctenus exordio procedere iussisset, in annum XVIII. Semiramidis postea coniecit. Sed annum primum Semiramidis longè antecedit annus Per. Jul. 2481, hoc est, pag. 260. ex Chronologia nostra, annis plus CLX. Pergit verò Scaliger, & eadem Itag. Can. pagina ista subijcit. *Ratio vincit Persas non alia epocha usos, quamdiu Assyriis parerant, aut Medis, quam ea qua domini eorum Assyrii, & Medi utebantur. Alter putare hoc est sensu communi carere. Ego verò communis sensus partem ullam nego in eo dogmate, ac verbis istis exstare. Est enim necesse scilicet, ut quæ nationes, ac civitates alienis Principibus serviunt, ex privatum nullam habeant anni formam, ac domesticam, epocham nullam, sed utrumque ab victore mutentur. Quis hæc audire sine risu possit? Ergone Græci, Judæi, Ægyptii, Babilonii ipsi, atque Syri, Arabes, ac reliqui omnes Europæ, Asiæ, Africaque populi, simul atque Romanorum in potestatem venerunt, pristinas omnes annorum formas, atque epochas perdididerunt, præque iis Romanorum annum veterem adhibuerunt; Urbisque deinceps conditæ titulum suis temporibus inscripserunt? Quid hoc tempore? Cum tam multi, ac diversi populi Turcis, ac Sarracenis pareant, & plerique Christiani, uti Græci, Syri, Armenii; nullò sine domesticos annos, atque annorum epochas hodie retinerunt? Sanè & hodie penes complures ex istis nationibus proprias annorum descriptiones, atque initia remanere docet ubique, vel fingit Scaliger. Neque dubium est, quin Græci omnes Christianam æram, aut ab orbe condito deductam cum Julianis annis, non Hegiræ annos, vel Turcarum epocham servent. Jam sub Romanis Imperatoribus Hispanos æram suam obtinuisse quis nescit? Quis illos omnes, quos enumeravi populos, peculiarem quemdam annum sub quorumcumque dominatu retinuisse dubitat? Vide quæ de Syromacedonum, Hagarætorum, Ægyptiorum periodis annalibus, & epochis in hoc opere, & canonibus Itagogicis traduntur. Miraberis adeo quemquam oblitum sui, ac iudicii omnis expertem fuisse. Quamobrem vana est conjectura de anni Persici epocha, quam in VIII. Aprilis hæcisse solus ille paralogifinus arguit. Ideoque futillis esse illa ratiocinatio, quæ indidem textitur, propterea quod à vernali cardine mensum integrum distaret epagomenon Neomenia, hanc ipsam de sede sua sollicitam alterum in mensum anno Christi CCCXV. transiisse.*

Sed mira est inconstantia. statim enim post priora illa, quæ produxi, scribit anno Cyri XXVII. Persas novum suum Salchodai instituisse, anno Periodi Jul. 4181. Quo tempore Neomenia Pharavardin VIII. Aprilis iniiit. Addit annum hunc primum esse Cyri, quo Judæorum laxata captivitas est. Quare ab annis Periodi Julianæ abjectis 4180. remanere annum Salchodai Cyri. En novum commentum, & quidem multiplex, quod argumento aliquo suaderi oportuit. In tabula Neomeniarum epochæ, quæ est Itag. Can. pag. 247, primus mensis Salchodai Persici incidit anno Periodi Julianæ 2501. à mense Behemen: à quo deinceps menses reliqui pertentur usque ad finem Salchodai. quo absoluto, anno 3941. redit iterum Sarus Behemen, & Salchodai alterum incipit: in quo tertius est Sarus Pharavardin. Hic autem Salchodai alterum institutum fingit anno ipso 4181, ineunte Saro tertio Pharavardin, annis CXXI. jam elapsis ab anno 3941. Quid igitur fecutus, quæve conjectura permotus, priora illa retractavit, ut contra atque in tabula descriperat, Salchodai novi initium ordinaret? Potestne verò certa aliqua ratione istud asstrui; Salchodai Persicum ab anno illo Cyri progredi coepisse, qui est XXVII. totius regni; non autem ab anno ejusdem XXI, quo Babylone primum imperavit, aut certè ab ipso Persici regni primordio periodi Julianæ 4154? Etenim multò probabilius est ab eo tempore, quo Persicum imperium fundari cepit, Persiarum epocham iniiisse, quam ab altero quolibet. Mitto frivolam esse nobilem illam, ut vocat, & illustrem observationem

Romanos oriamur 366. dies, & annis 1460. elapsis anno integro Persico totus contextus anni Persici anteverit, & circa principium anni iterum conveniant Persie & Romani: deinceps vero post quadriennium decursum iterum incipiunt Persia antevertere nos die uno, & deinceps similiter. Absoluta autem fuit prædicta annorum 1460. revolutio quodam temporis principio, quod antecessit trecentis & septem annis initium imperii Jezdegirdi: ex quo tempore denuo caperem Persia nos antevertere die una secundum quadriennium circitum. Docet canicularis illius Periodi principium rursus ante octvii annos, quam Jezdegirdis ara cœperit, esse deductum. Quæ vox, rursus, & illa, *Συναρισμός*, id est, reversio ad idem punctum, unde progressionem fecerat, argumentum sunt, non tum primum inisse Periodum, ac solum esse Persicum annum dissoluto Salchodai, ac Saris retextis: verum diu etiam antea cynicam Periodum alteram à Persis admittam. Quare quidquid de anno Persico Patriarcha, & ex eo Scaliger scripserat: tota illa Sarorum, & Neomeniarum varietas, ac *μεταβολαι*, ambitiosi illi Periodorum contextus: hæc, inquam, universa, nisi aliunde firmentur, quantumvis acutè, ac subtiliter excogitata videntur, casta sunt, ac frivola. In quo Patriarchæ fides vacillat, suspensamque rem omnem facit, quòd is anno primo Jezdegirdis veterem apud Persas anni descriptionem abolitam existimat, succedente Cynica, & Ægyptiaca: idque in hoc de Emendatione libro complexus est Scaliger. At Isaacus Monachus, & ex eo, mutata jam priore sententiâ, Scaliger, diu ante Periodum annorum 1460. inchoasse Persas memorat: imò, uti dictum est, perpetuo servatam potius, quam aliquando subrogatam esse, Isaaci verba declarant. Quocirca manifestè Scaliger ab ipsius, quem relicto Patriarcha sequitur, Isaaci sententiâ discedit, & novam temerè fabricatur: anno videlicet cccxxv. initium canicularis periodi esse factum: atque hæcenus Persas intercalationem mensium, post Saros absolutos, ac Salchodai, ceteraque tenuisse, madidis cantat quæ Soltratus alii. Redeo ad Jezdegirdis æram, quam anno Christi dcccxi. i. cœpisse nemo dubitat. Ea ab Jezdegirdis obitu, non regni initio petitur, anno Nabonassari 1380. Neomenia Thoth unâ cum Neomenia Di Persici convenit in xviii. Martii. Igitur Neomenia Chioiac cum Neomenia Pharavardin cadit in xvi. Junii: à quo die ducitur æræ primordium. Itaque si ab annis Nabonassari deduxeris annos 1379. habebis annos Jezdegirdis. Sed methodus alio in loco tradetur.

CAPUT XVII.

De anno Armeniorum, Scaligeriana doctrina summa.

SUPERSTITIO ex iis populis, qui æquabili anno usi sunt, omnino duo, Armenii & Hebræi veteres; de quibus tam multa finxit, ac lectorum patientiæ tam intemperanter illustravit, ut difficile sit de temeritate hominis, ut res postulat, dicere.

Ab Armeniis incipiam, quorum annum solemnibus illis præstigiis obscuravit. Neque verò sibi constitit. Nam aliud in hoc opere; aliud in Ifagogicis Canonibus de illorum anno docuit. Utrumque somnium hic fideliter exponam.

Pag. 101. Pag. 487.

In hoc libro de Emendatione Temporum, capite de anno Armeniorum, & in v. capite de primo Sahami Armeniorum, annum ipsum merè Ægyptiacum procedit: hoc est canicularem periodum annorum 1460. illis tribuit. Nulla istic Salchodai, nulla Sarorum, ac trajectio nis *ἡ μεταβολή* mentio: cum æquabilem annum observarent; neque unquam ad epocham Neomenia primi mensis rediret, nisi consecuta Periodo annorum 1460. Julianorum, Ægyptiorum 1461. Itaque nihil istorum annus commune habuit cum Persica, vel Chaldaica methodo, quam supra proposuimus.

Primus mensis erat Sahami: epagomenæ in finem posteriori mensis Huri conjiciebantur. Mensium laterculum hic adtexam.

Neomenia Sari perpetuo concurrebat cum vi. die Chioiac Ægyptiaci, & Mustera à Neomenia Chioiac inchoabant. Unde Harwatis, Nawafari, & Huri respondebant adamussim mensibus Thoth, Paophi, & Athyr. Hanc formam anni retinuerunt Armenii, usque ad annum Nabonassari 1300. qui cœpit anno Christi dccc. Quo quidem Thoth incidit in Aprilis vii. feria i. Periodi Julianæ anno 5265. Neomenia Chioiac Julii vi.

MENSES Armeniorum.

i Sahami	30
ii Theri	60
iii Cagutsch	90
iv Arats	120
v Mahich	150
vi Arich	180
vii Ahili	210
viii Mariri	240
ix Marchats	270
x Harwatis	300
xi Nawafari	330
xii Huri	360
Musterkath	365

farum imperio vixerunt, non solum eorum annum, ut ratio ipsa postulat, sed & instituta quoque Persica tenuisse; donec excusso jugo, & regibus è gente sua creatis, aliud tempus trajectio nis epagomenon instituerunt, & novam epocham Regi novo sancirent. His positis, Armenios refert à Cyro usque ad Antiochum magnum, Dynastas, vel reges Persas habuisse. Postremum horum Hydarnem unum ex septem Principibus, ab Antiocho magno superatum. Armenii Reges duos impositos, Artaxion, & Zadiadin, Illi, victo à Romanis Antiocho, in partes Romanorum discedentes, privatis legibus regnum suum administrarunt. Et cum Perfarum instituta, ritus, & religionem per omnia retinerent, anni quoque formam eandem consequenter observabant; donec xxvi. annis post Antiochi obitum, anno Periodi Julianæ 4553. numero Eusebiano mcccclviii. Thir Periodi anno xiii. hoc est lustro Scherariuz, novam periodum instituerunt. Postea Christi cultu accepto, anno Periodi Julianæ 5265. epagomenis à sede sua dimotis annum vagum amplexi sunt.

CAPUT XVIII.

Elenchus doctrinae de anno Armeniorum.

OPINATIONUM illa varietas doctrinæ totius vanitatem & præcipitem auctoris levitatem redarguit. Unde enim, & qua conjectura vel priorem illam, vel posteriorem Armeniorum anni formam contextit? Quis auctor? quæ ratio? quod vestigium humani sensus in eam de Armeniis sententiam induxit? Diceret aliquid saltem, neque fidem nostram divinationibus suis adstringeret. Nunc credi sibi sine ullo teste, sine argumentis postulat? Etsi hoc tyrannicum, & arrogans videtur, tamen credamus affirmanti. Quid ergo potius sequar? Duo sunt & contraria decreta de Armeniorum anno? In posteriore Persicum Salchodai, & Sarorum methodum sanxit. Nam desultoriam illam mensium intercalationem post cxx. annos Armeniis assignat, cui reliqua trajectionum, ac Neomeniarum series annexitur. In priore verò annum illorum æquabilem, sive ulla intercalatione, aut trajectione constituit. Quid hic in tanta opinionum pugna faciam? Neutrius enim assensionem ratio, uti dictum est, aliqua, fed vis, ac libido fingentis extorquet. Cum Ifagogici Canones doctrinæ de Emendatione temporum *ἡ μεταβολή* esse debeant, ejusque præcepta demonstrativè tradere se titulo ipso profiteatur, quæro ecquâ demonstratione Chaldaeorum, Perfarum, Armeniorum annus approbetur? An illud demonstrare est, non modò conjecturam asserere solam, sed, quod in priori statuerat, posteriori opinione convellere? Intro in causam magis, & Armeniorum anni fundamenta persequor, ut nihil in præteritis relinquatur. Primum est illud, quod rei summam complexitur: Armenios Persis olim paruisse; proinde illorum instituta ac ritus omnes adicivisse, cum anno civili. Jam istud in superioribus abundè consutavimus. Cujus enim est iudicii, tam levi ex conjectura, tam sidenter

de obscuris rebus, & incertis proferre sententiam? Quis hoc, inquam, conceperit; simul atque populus aliquis in Regis cuiuspiam, ac civitatis ditionem venerit, patriæ anni formâ statim abdicatâ, in victoris propriam, peregrinamque transire? Quam hinc multa falsa, & absurda sequuntur, quorum vel Scaligerum ipsum pudeat! Eanos capite illo perstrinximus. Quamobrem nihil tam inanè observatio Scaligeri commentum promovet. Strabo sub finem libri xi. de Armeniis multa refert, ex quibus hausit Scaliger: sed in quibusdam hallucinatus est; ut cum dicit postremum Regem fuisse Hydarnem unum ex septem Perfarum principibus. Quod est ridiculum. Strabo enim narrat ultimum fuisse Orontem ex posteris Hydarnis, qui unus è septem illis fuit, qui cum Dario Hytaspis filio Magos sustulerunt. Non Hydarnem, sed Hydarnis *ἑταίρον* Regem nominat. Armenios itaque Strabo memorat Persis, ac Macedonibus paruisse. Post Syriæ, Mediæque principibus. Postremus, inquit, exiitit Orontes ex posteris Hydarnis. Deinde ab Antiochi Magni ducibus Artaxia, & Zadiade bifariam divisit finem Armeni, qui quidem duces, permissu Regis illi imperarunt. Victo Antiocho ad Romanos se contulerunt. Tum multis interjectis: *Ἄπεντα μὲν ἔτι, τὰ τὴν Περσίαν ἔχοντες, ἃ μὲν οἱ, ἃ καὶ οὐκ ἔχοντες. Omnia Perfarum sacra & Media, & Armenii religionis colunt.* Postrema hæc Strabonis verba nactus Scaliger, fecit id, quod delicatus ille juvenis, qui invento scalamo navem ædificavit! Ita ille Armeniorum annum, ac Periodos, omnemque Persici anni, ac Chaldaici apparatus instituit. Puderet lectorem levitatis, temeritatique tante, nisi qui illius doctrinam tractant, similibus rerum consuetudine jam occalluissent. Quam enim hæc belle consequuntur! Armenios, ac Medos eadem sacra cum Persis usurpasse tenuisse est Strabo. Ergo & ritus eorumdem omnes, & annorum titulum ac formam observant. Atqui de civilibus ritibus nihil omnino Strabo; dequæ anni forma multò minus. Palastini ecce, Arabes, Syri, Astatici, Ægyptii Persis olim subiecti sunt. Cur non horum annum ad illos omnes transtulit? Cur cum eadem omnium causa sit, certos populos ab anni Persici communiione excipit, & immunes ab ea lege facit, quam ipse pagina 260. adeo confidenter pronunciat? *Communi carere sensu, qui Persas, quamdiu Chaldaeis & Assyriis subiecti sunt, alia epocha usus esse, quam ea, qua Domini eorum Assyrii & Medi utebantur.* Tum pag. 269. Omnes, inquit, qui postea sub imperio Perfarum vixerunt, non solum eorum annum, ut ratio postulat, sed & instituta quoque Persica retinuerunt. Mirum, novum, inauditum. Ergo Ægyptii proprium annum nullum habuerunt, postquam à Cambysè perdomiti sunt. Judei insuper ipsi, si vera est ratio illa Scaligeri, Persicos ritus, aut eorum saltem annum adhibuerunt. Nam omnes ea lege constringit; excipit neminem. Quid Asiatici, Græcorumque coloniz? Age verò, postquam extincto Perfarum dominatu, sub Macedonum potestate venerunt, desinse Persicos ritus, atque annum eisdem illos convenit, atque ad Macedonum consuetudinem sese transfulisse. Nam victorum annum, non alium, victos amplecti debere novus legislator edixit. Quare suo se ipse telo conficit. Cum enim Armenios Macedonibus, ac deinde Romanis subiectos fuisse constet; quo jure Persicum annum potius apud illos constanter hæsisse, quam Macedonicum existimat? Quod idem de aliis populis, ac civitatibus urgeas licet. Quam ob rem uti Scaligeri doctrinam istam in omnes partes verset, ac diligenter inspicat Lector, nullum ejus fundamentum agnoscat, neque causam ullam animadvertet, quare in Ifagogicis canonibus ab ea, quam in libris de Emend. tradiderat, opinione desiciverit. Secundum priora decreta Sahami princeps mensium fuit uti Thoth Ægyptiis, & vi. Chioiac perpetuo cœpit. Itaque anno Christi dccc. Neomenia Sahami cadebat in xi. Julii, sed inde in nonum traducta, & pro quarta *ἡ μεταβολή* posita. Undenam, obsecro, ista concludit? Cur argumenta prætermittit, ex quibus didicerat, Armenios Neomeniam Sahami tunc temporis antevertisse? Nullasne Patriarchæ cuiuspiam litteras accipere, vel comminisci potuit, quibus à fe mendacii suspitionem depelleret? Sed hæc, quæ in libris de Emend. docuerat, atque illam omnem methodum pro damnata & confictâ ipsemet habuit in Ifagogicis canonibus. Quare hæc posteriora spectemus.

Anno Per. Jul. 4553. novam Periodum dicit instituisse Armenios. Hoc qui negaverit, hominem ad incertam redegerit. Nam neque volam, neque vestigium observationis istius in libris reperit. Non minus præstandum & illud est Scaligero, quod Sahami de principatu mensium dejecto, Arats in ejs locum intrusit. Ad hæc suum illud & ridiculum qui tandem obinet, Armenios epocham anni in Aprilis vii. collocasse? Hujus enim conjectura inanis est, & lubrica: quòd videlicet ab anno Periodi Julianæ 2481, & quidem Semiramidis ætate, Chaldaei, & eorum imitatione Persæ annos numerarint, quod Armenii postea secuti sint. Quæ sanè perabsurda esse supra pervicimus. Nam est probabilis Persas à Neuruz, id est æquinoctii puncto, annum suum inchoasse, non à sicutia, & proleptica quadam epocha. Quod & de Armeniis consentaneum est, si, quod merito repudiamus, aut eandem cum Persis anni formam, aut consuetam illam, & fabulosam amplexi sunt. Sed in eodem illo Canonum Ifagogicorum loco, quædam intricata leguntur, & effusita perperam. Censet enim anno Periodi Julianæ 4553. Thir Persici tertio decimo, hoc est lustro Scherariuz, novam Periodum institutam. Ex anni Persici ratione, Neomenia mensis Thir in iv. Aprilis incurere debuit, lustro in eunte quinto, id est anno Sari tertio decimo. Quærendum est igitur utrum Armenii, qui novam illam Periodum inchoarunt, novam Neomeniam Aprilis iv. auspiciati sint, an potius in Aprilis vii. ac veterem epocham retraxerint. Hoc posterius sequitur Scaliger: sed gratis, ac temerè perinde atque illud ipsum de anno Periodi Julianæ 4553. quo novam instauratam epocham ariolatur. Pergit deinde, & anno Per. Jul. 5265. Christi 552. abdicatum esse Persicum annum cum gentilitia superflitione dicit: quæ epocha libro v. consideranda veniet. Eodem, inquit, anno cum Sarus Marchats ageretur, ejusque lustrum xxix. id est annus cxi. Neomenia mensis Marchats convenit in Martii ix. Neomenia *ἡ μεταβολή* in vi. Martii exitu mensis Mariri. Neomenia Epagomenon inde translata in iv. Julii Neomenia Sahami submota est in ix. Julii. Hæc sunt inquinata multis modis, & confusa. Scriptum oportuit incurrisse Neomeniam Marchats in xi. Martii, non in ix. quandoquidem Neomenia epagomenon cadit in vi. Martii. Ac librarii videri culpa poterat, nisi scriptoris ipsius hallucinatio manifesta teneretur ex sequentibus. Quomodo enim Neomenia Sahami submota fuit in ix. Julii, cum in hunc ipsum caderet dicem; si quidem Neomenia Marchats conveniret Martii xi? Est enim Marchats quintus ante Sahami. Si igitur ad xi. Martii dies adjectis cxx; hoc est quatuor menses, desinet numerus in Julii ix. Quare non est submota Neomenia Sahami, sed suo ac veteri in loco retenta. Verum Scaliger cum falsò ix. Martii Neomeniam Marchats pro xi. constituisset, eundem in sequentibus errorem tenuit; & submota Neomeniam Sahami credidit.

Sed de Armeniorum anno, adeoque Perfarum & Chaldaeorum, quæ sunt mera deliria, & *κατασκευασμῶν* Comicæ, nimium multa. Ad Hebræorum annum transeamus, in quo plura, & prodigiosiora commenta sunt.

CAPUT XIX.

De anno Hebræorum veteri. Scaligeri doctrina pag. 266. libri hujus, & Isag. Canon. 263.

ANNUS Hebræorum ante Exodum lunaris non fuit, sed æquabilis, & cuiusmodi apud Chaldaeos, & Persas existit, hoc est ex mensibus tricenariis compositus, cum appendicibus v. Ita post annos iv. caput anni unum diem antevertebat, donec post cxx. annos, cum jam xxx. diebus recesserat, mensis unius intercalatione veterem in situm revocabatur. Hoc spatium annorum cxx. Cheled vocabant.

Eam anni formam cum in libro de Emendatione dixisset Hebræos à Chaldaeis accepisse; mutata sententiâ utriusque nationis eandem ab initio epocham fuisse mavult, nempe à xxvi. Octobris. Sed anno Periodi Julianæ 2480. Cyclo Solaris xvi, trajectio epagomenon facta. Quarum Neomenia cum in vi. Octobris feria v. contigisset, ejus loco Neomenia Tisri constituta.

